



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Patientia beata, pacifica, quieta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

tendit, & virilem magis bellatorem effecit. S. Chrysol. hom. 1. de patientia Job.

Num. 2.

Exempla aliorum.

Joseph patiens invenitur, cum è pascuo à fratribus rapitur; patiens cum in puteum demittitur; patiens in carcere, in regno patientior; patientissimus, desideratos cum fratres agnosceret. S. Zeno Ven. f. de patientia.

Vincula, & tribulationes, Jerosolymis me manent. Act. 20. 23. Peculiariter facit mentionem de his, quæ passurus erat Jerosolymis, quàm Romæ; & alijs locis: quia ibi Christus passus est; ibi Stephanus; ibi prima persecutio: & cum ijs pati valde gloriosum, & magnum solamen erat, Sylveira hic.

Rogo vos, ut non frustra sit in me dilectio vestra. Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum pomereri: triticum enim Dei sum; dentibus bestiarum molar, ut possim panis Dei mundus inveniri. S. Ignat. M. ep. 12. ad Rom.

Possedit patientiam durissimi adamantis instar. S. Ephrem in vitam B. Abramij Syri Eremita.

Patienter ab uno ferendum est, quod multis accidit tolerabile. S. Isid. l. 1. soliloqu.

§. V.

Patientia beata, pacifica, quieta.

SI jure beatus creditur, qui ubique invenit, quod amat; justè vigor patientiæ aser, hoc est, beatus nominatur, cui undique obviat, quod desiderat. Rich. à S. Vict. l. qui dicitur Benjamin minor c. 26.

Habet in se remunerationem suam, qui sequitur Jesum, & in suo affectu præmium, etiam si dura sustineat. Beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis. S. Ambros. l. 1. de Jacob c. 7.

Hoc justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi, propter contumacem deliciarum appetentiam, dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur. S. August. l. de patient. c. 14.

Quemadmodum in abyssum maris scintilla delata huic quidem nihil obest, ipsa extinguitur: sic in animum tolerantem quidquid incidere, maximarum etiam rerum, potest, facile quidem absumitur ipsum; ille conturbabitur profusus nihil. S. Chrysol. hom. 33. in 1. Cor. 13.

Gratia verè maxima, dignum cenferi; propter Christum aliquid pati! & corona verè perfecta, & merces futura retributione non minor. S. Chrysol. hom. de orat. Annæ.

Ad pacem per patientiam pervenitur: tantoque magis pace fruetur homo, quanto erit patientior. Finis patientiæ pax est. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 1.

Beatus, qui non pervenit ad gratiam per labores; sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. S. Chrysol. l. 88.

Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidine flagrans humanitas per momenta suspirat; tamen omnes unò, eodemque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum. S. Zeno Ver. f. de patientia.

Felix, æternumque felix esto, qui semper te habuerit in se. Id. ib.

Feliciter sunt miseri, quos constat, non meruisse, quæ perferunt. Hildebertus ep. 39.

Nequaquam dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus esse matrem virtutum. Itaque, quidquid illud fuerit, quicumque religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quælibet dura nulli beatiores sunt, quoddam volunt. Salvian. l. 1. de gubernat. Dei.

Ponat unusquisque se ad patientiam, si vult habere cordis tranquillitatem. Thom. Kemp. p. 2. serm. ad Novit. f. 1.

§. VI.

Patientia lata.

Num. 1.

Figure, & Symbola

Accipit eam uxorem. Gen. 24. 67. Honorabile conjugium inter Isaac, & Rebeccam. Isaac Hebr. risus est. *Rebecca, patientia.* S. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. risus à tolerantia adjuvatur. Ut risum à viro mulier eliciat, patienter agat: risum patientia impetrabit. Velloso in Judith 7. Paræn. 25. Rabbanus, Isaac, & Rebecca, conjunguntur; id est, risus, & patientia, permiscetur. apud Sylveira in Joan. 16. c. 18.

Lotus est Deus ad Jacob: surge, & ascende Bethel. Gen. 35. 1. S. Ambros. ad Irænaum de æmulat. Egypt. sequamur S. Jacob vias; ut perveniamus ad eas passiones, ad patientiam (alludit ad Matrem Jacob Rebeccam, quod ipse interpretatur, patientiam) matrem Fidelium; & ad patrem Isaac, id est, jucunditatis capacem, lætitiæ redundantem: ubi enim patientia, ibi lætitia. q. d. sicut conjugantur Rebecca, & Isaac, sic copulantur patientia, & lætitia. Cornelius hic.

Parvus fons &c. Esth. 10. 6. Hoc est ergo paradoxum Mardochei somnium: ex aquis sol, id est, ex tribulatione oritur gaudium, ex mœnore lætitia, & humiliatione gloria. Cornelius hic.

Ubi audierit buccinam, dicit vah! Job. 39. 25. Vah est interjectio animi gestantis. Guilielmus Paris. l. 1. de morib. tr. de spe. sicut gaudent equi, cum signum imminens conflictus audiunt; sic & Dei amici hujusmodi gaudiò gaudent; cum bellum tribulationis conflagrare cognoverint. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. obs. 1.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Sept. tempus sectionis. Alij ex Hebr. tempus cantillationis advenit. de Ponte hic Exh. 19. §. 1. Princeps agricola Deus palmitem fermentem fructum purgat varijs tribulationibus. Cum igitur tribularis; scito, quia tempus putationis advenit: quod potius tibi deberet esse tempus cantillationis, dum gloriaris in tribulationibus,